



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **S. Francisci Xaverii E Societate Iesv Indiarvm Apostoli Novarvm Epistolarvm Libri Septem**

**Francisco <de Javier>**

**Romæ, 1667**

Epistola VIII. Eidem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46129](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46129)

152 S. FRANCISCI XAVERII  
tractare Christianos. Ora Deum pro me: &  
dic Pueris, ut in suis Orationibus Deo me  
commendare meminerint. Manuëli Crucio  
inscribo schedulam collybisticam, cuius vi  
centum tibi fanoës numeret in sumptum in-  
stitutionis Puerorum. Eam cum his ad te  
mitto. Dominus Noster suo vobis auxilio &  
favore semper adfit. Amen. Tutucurino XII.  
Kal. Octobris An. CIOIOXLIV.

Tuus in Christo Amantissimus Frater.

*Franciscus.*

### EPISTOLA VIII.

EIDEM.

**C**arissime in Christo Frater: cum appul-  
sus Manaparem starem in procinctu pro-  
ficiscendi ad Alexium Sosam, convenerunt  
me Naires duo, Tabellarij Epistolæ ad me  
scriptæ à quodam Lusitano, quâ me factum  
volebat certiozem, detineri se Bearime ne-  
cessariâ causâ, & ibi habere literas ad me  
Præfetti Arario regio, & quædam alia  
mandata, quæ nisi præsens reddere aut ex-  
pone-



ponere nequiret . Hoc solum posse scribere : Ejusmodi ea esse , quæ novum meum cum Iniquitribirimo congressum postulent . Alexius Sosa Colanum se contulit . Ajunt eum à Satrapis , seu Pulis , valde offensum discessisse . An ex vano haustus is rumor sit , nondum ad liquidum comperi . Ego hinc jam nunc viam in eo terrestrem , à Comorinensi Promontorio , lustraturus obiter Christianorum obvios Pagos , & baptizaturus cum recens natos , tum si , qui adulti satis ad id dispositi occurrerint . Feriâ secundâ proximâ , nisi quem alium (quod tui juris facio) diem mavelis , cuperem invisi à Te Christianos Tutucurino exules : & quia in novis istis precarijs sedibus locum ubi conveniant non habent , eos extra septa tuguriorum evocatos congrega in puro campo , ibi que doce ac sacris procura . Nicolao Barbosæ seriò velim denuncies , ne istos qui Tutucurini , expulsorum inde priorum incolarum Domibus incubant , vocet ad piscatum Margaritarum . Mihi enim , cui aliquam in hoc autoritatem Rex & Prætor tribuerunt , neutiquam placere , contumaces adeo ac rebelles Christianos , aut , ut verius loquar , Apostatas , gaudere fructibus maris nostri



nostri . Concedatur id fanè Punicalensibus ; ac si quibus eorum cordi sit circa Tutucurinenfes Insulas urinari , conchis unio-  
 num matribus è fundo eruendis , per me licet , id faciant . Itaque ijs uti sui quæstus Ministris Barbosa poterit . Sin du-  
 riorum se præberet , graviter mone à me hominem : etiam atque etiam suâ causâ caveat , ne quid novæ consciscat culpæ .  
 abunde enim esse quæ aliàs plurima peccasse illum , non solus ipse recordetur . multam opis Divinæ mihi per dubia viarum ,  
 ancipitia tractationum adfuturæ fiduciam colloco in tuis pro me , ac parvulorum quos isthic habes , orationibus , quas noli  
 me frustra implorare . Tanto ego auxilio munitus vado erectâ fronte ac certo pectore  
 contra terrores quos mihi Christiani certatim intentant ; sollicitè inculcantes , non nisi cum propè certâ pernicie terrestris à  
 me iter per has regiones susceptum iri : quòd feræ quæ illas incolunt , gentes totum ,  
 quo in Christianam Religionem flagrant , odium , in me haud dubiè , quo illam niti  
 putant , effusuræ videantur . Atqui , ut tibi mei animi pandam intima , tantum  
 me vivendi tædium tenet , ut eo alliciar ,  
 quod



quod illi ad deterrendum objectant. Iudico, inquam, multo mihi melius in odium Nostræ Sanctæ Fidei ac Legis interfici, quam vivere videndo tot in Deum peccata, quæ in nostris quotidie oculis, frustra impedire conantium, perpetrantur. Verè dicam: nullâ mihi magis re displiceo, quam quod obstare nequiverim ijs quos nosti, tam immaniter Divinum Numen offendentibus. Dominus Noster adsit semper vobis auxilio & favore. Amen. Manapare IV. Idus Nouembris An. CIOIOXLIV.

Statim discedo Pudicarem versùs. P. verò Franciscus Coëlius it visitatum Christianos qui degunt Atapatanaï.

Tuus in Christo Amantissimus Frater

*Franciscus*

EPI.